



Teol. 6994.

Arteniſki Raphaëlus Caſimiri: Quaerſtio theologia de
viſione Dei.



I. N. R. I. 59926^{III}

In Nomine Domini Amen.

Q V Æ S T I O T H E O L O G I C A,

DE VISIONE DEI,

Ex M. SENTENTIARUM, L. IV. Dist: 49.

Et ex D. Thomæ Doct: Angelici, 1. p. q. 12. & 1. 2. q. 5.

C O L L E C T A:

ET

Pro Doctoratu in Sacra Theologica

F A C U L T A T E,

Almæ Vniuersitatis Studij Generalis Cracoviensis,

O B T I N E N D O;

A

M. RAPHAELE CASIMIRO A R T E N S K I,

S. Theologiæ Licentiato, & Professore, Collega Ma-
iore, Ecclesiarum, Collegiæ S. FLORIANI, Florentiæ ad

Cracoviam, CANONICO, Parochialis Paiecznen: Curato,

Contubernij Gelanij Prouisore,

PUBLICÆ DISPUTATIONI,

In Lectorio DD. Theologorum,

P R O P O S I T A.

Anno Domini 1698. Mense Iulio, Die 11. Horis vespertinis.

CRACOVIAE TYPIS VNIVERSITATIS. h. h.

Q V Æ S T I O T H E O L O G I C A.

U. In Visione Beatifica; ab Intellectu creato Comprehensorem, Lumine Gloriæ eleuato, exercita; Essentiam Diuinam speciali modo, scilicet per modum Obiecti concurrentem effectiue, habente; sine vlla specie Impressa, seu similitudine, tenente se ex parte Obiecti; Verbum, seu species Expressa, producat, nec ne?

C O N C L U S I O I.

NON tantum possibilis est, sed de facto datur, Visio Beatifica: quâ, Intellectus creatus Comprehensorem, Lumine Gloriæ eleuatus, videt DEVM per Essentiam, sicuti est.

C O R O L L A R I A.

- I. Visio DEI, non intelligitur hic ea, qua fit per aliquam similitudinem creaturarum, vt Visio DEI in Rubo Moysi apparentis, neq; illa, qua Visus est DEVS in unione Hypostatica, neq; illa qua est vestigium DEI, & videtur in creaturis; sed illa sola, qua videt DEVM per Essentiam, intelligendo etiam, quidditatiue.
- II. Clara DEI visio & Intuitiua, non aliunde est possibilis Intellectui creato, nisi de potentia eius obedientiali.
- III. Sine lumine Gloriæ supernaturali creato, nullus intellectus natura viribus, potest videre DEVM naturaliter, clarè, & intuitiue, quod est contra Arrium, Eunomium, & alios sequaces eius Hereticos. Multo magis non potest visionem hanc attingere, oculus corporeus, etiam per absolutam DEI potentiam.
- IV. Scripture loca ab Hereticis Calvinistis obiecta, de sola visione post extremum DEI iudicium, intelligenda sunt, de coniunctione corporum beatorum, magis de Gloriâ & honore gauisurorum, non de solis beatis animabus, à corpore separatis, nunc defuncto visione Beatifica gaudentibus.
- V. Error est Hereticorum Almarici & Abagilardi, existimantium, non posse villo modo videri Essentiam DEI, sed tantum claritatem eius, etiam in patria.

C O N C L U S I O II.

Essentia Diuina, specialiori modo, scilicet per modum Obiecti, concurrat ad visionem Beatam Effectiue.

COROLLARIA.

- I. *Intellectus creatus, etiam cum Lumine Gloriae, est adhuc indeterminatus ad videndum DEVM, proinde indiget aliquo determinatio, ut determinetur ad visionem DEI, quod non est aliud, nisi Essentia DEI.*
- II. *Lumen Gloriae, est dispositio, sine qua nil.*
- III. *Concursus specialis, quo DEVS per modum Obiecti concurrat ad Visionem, procedit à DEO immediatè, per Substantiam eius.*
- IV. *Non tantum Essentia ipsa DEI, concurrat immediatè ad Visionem Beatam, sed etiam Relationes.*
- V. *Benè potest intelligi Visio DEI, de potentia ipsius absolutà, non concurrente ipso hoc Concursu Effectiuo, per modum Obiecti.*

CONCLUSIO III.

AD Visionem Beatificam, non datur vlla aliqua species Impressa, seu similitudo, tenens se ex parte Obiecti.

COROLLARIA.

- I. *Etiam de Potentia DEI absolutà, non potest dari species Impressa in Visione Beatifica.*
- II. *Species Impressa non aliud est, quàm similitudo quaedam habitualis, tenens se ex parte Obiecti, illius vicaria & locum tenens, in ordine ad visionem.*
- III. *Ad omnem visionem, requisita, virtus Visiua, Res visa, & Unio rei visa, cum vidente, dupliciter fit, vel per similitudinem, vel per Essentiam.*
- IV. *Essentia Divina, & habet rationem Obiecti, quod videtur, & habet rationem speciei Intelligibilis, per quam videtur.*
- V. *Intellectus Beati, quamuis finito modo videat, tamen videt Infinitum.*

CONCLUSIO IV.

IN Visione Beatifica, Beati producant Verbum, seu speciem Expressam.

COROLLARIA.

- I. *Visio creata, quâ Beati DEVM vident, elicitur Effectiuè ab Intellectu Beati, ita, ut ad illam, non merè passiuè se habeat.*
- II. *Quamuis multi dicant, visionem talem, esse, non de Pradicamento Actionis, sed Qualitatis, tamen Qualitas ista, est species Expressa.*
- III. *Etiam de Potentia DEI absolutà, implicat dari Visionem Beatificam, elicitam ab Intellectu Beati, & non includi in illa Verbum, seu speciem Expressam.*
- IV. *Species Expressa ponitur, ex vi & natura Intellectionis, siue Obiectum sit praesens, siue absens.*
- V. *Species Expressa est, nec ratio cognoscendi Obiectum, nec ipsum Obiectum cognitum, sed est ipsa Cognitio seu verbum mentis, vel Terminus Cognitionis.*

Principio ac Terminò, qui est Alpha & Omega,
DEO Laus, Honor, Virtus & Gloria.

DESCRIP TIO

Visionis Beatifica ex SS. Doctōribus.

In Ciuitate DEI (seu Visione Beatifica,) est, Rex Veritas, Lex Charitas, Dignitas Æquitas, Pax Felicitas, Vita Æternitas. In Ciuitate diaboli; est contrā. Rex Falsitas, Lex Cupiditas, Dignitas Iniquitas, Lis, felicitas, vita temporalitas. *S. Augustinus de Ciuitate DEI.*

VNA CORONA

Stellarum 12. in Visione Beatifica, ex S. Bernardi Sermonibus de omnibus SS. præcipuè Ser: 4. collecta.

1. Memoria sine obliuione, 2. Ratio sine errore, 3. Voluntas sine omni perturbatione, 4. Impassibilitas sine corruptione. 5. Claritas, quā configurabimur claritati; Corporis Christi. 6. Agilitas secundum mobilitatem cogitationum nostrarum. 7. Subtilitas, cui nil impenetrabile. 8. Diligere proximum omni veritate. 9. Videre proximum redamantem se inuicem in omni puritate. 10. DEVM diligere perfecte, sed plus quàm seipsum. 11. Diligere seipsum, tantum propter DEVM. 12. Videre DEVM diligentem se supra quàm diligit seipsum.

SCEPTRA DVO.

In Beata Visione, Honor & Gloria:

Vidimus IESVM propter Passionem mortis, Gloria & Honore coronatum, *Ad Heb: 2. Explicat. Oecumenius.* Gloriam & Honorem vocat S. Apostolus Crucem. Neq; tam dignum erat, tamq; gloriosum, creasse Cælum & terram, & Hominem, & supernas virtutes, sicut, quod propter nos, dignatus est crucifigi.



Omne bonum! Pax! noster honor! quies! ô bone IESV!

O dolor! ô labor! ô nœnia quanta tua?

Incasum cecidisse vera tua vulnera, nobis;

Hæc fiant satiùs Visio clara DEI.

Namq; nec astra, aut terra, nec vllus, Gloriæ Honoris

Sceptra coronata, ast Crux tibi sola dedit.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

I. V. Doctōris & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, & Viennensis Canonici, Archidiaconi SS. Omnium, Scholarum Novodvorscianarum Provisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Cracoviensis,

Procancellarij, ac Generalis, & Vigilantissimi

R E C T O R I S.

oseus

Di-
on-
m.

ni-

er-
la-
m.
vi-
fe-
vi-

m.
ru-
&
gi.

ic.

11. 23

~~Specimen Catalogue of the University of Toronto~~

~~Arthur H. Hays, Esq.~~